



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Trismegistus Doctrinæ Christianæ Tertio Continuatus,
Seu Brevis Expositio Sciendorum De Ultima Voluntate
Hominis Christiani In Spiritualibus, Atque Temporalibus,
Methodo Morali-Theologica concinnata, ...**

Mayr, Cherubinus

Salisburgi, [ca. 1735]

§. II. Praxis Confessariorum circa expositam Doctrinam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42295

dam? Porro spiritualement armaturam illam verbis patheticis recomēdat Apostolus ad Ephes. 6. dicens: *Induite vos armaturam DEI, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Et post pauca: *State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti lorica[m] justitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium spiritûs - - per omnem orationem & obsecrationem orantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus Sanctis, & pro me &c.*

§. II.

Praxis Confessariorum circa expositam Doctrinam.

CASUS I.

Cethura periculosè decumbens refert Confessario anxietatem suam, quam habet de futuro vitæ suæ fine. Causam hanc reddit, quòd quidem reflectere se non possit, aliquando omisissè gravius quoddam peccatum in Confessione, sciat tamen dolorem suum aliquando fuisse satis tepidum & remissum; & alias DEO suo valdè segniter servissè, negligendo multa bona, quæ facere potuisset. Et ideo

ideo se dubitare, utrum DEUS, illo non obstante, sit sibi propitius futurus in secuturo fine, & cum gratia sua adstiturus. Quid illi Confessarius?

RESOLUTIO.

CONFESSARIUS ei dicet hanc curam esse su-
perfluam; non enim homini curandum
est, quid DEUS de eo sit facturum, sed an
ipse præstiterit, vel præstare paratus sit o-
mne id, quod faciendum DEUS ab ipso ex-
poscit. Hoc pro certo habendum, quòd
DEUS velit omnes salvos fieri, & nullum
deserat, nisi prius ab eo deseratur. Hinc
si Cethura conscientiam suam nullo pecca-
to mortali gravatam, post diligens examen
fenserit, signum est, beato fine perfunctura-
ram, si tamen fiduciam suam in DEO repo-
suerit, & de præhabita diffidentia pœniten-
tiam egerit. Nam quòd dolor aliquando
fuerit tepidus & remissus, sufficientiam
ejus non tollit, cum nullibi requiratur cer-
ta intensio doloris, sed sola substantia, quæ
etiam in minimo gradu reperitur, uti ha-
bet comunissima Theologorum cum P. Sporer
p. 3. *Theol. Sacram. cap. 2. num. 109.* Minus
requiritur dolor sensibilis, ex cujus fortè
defectu orta est illa habiti doloris insuffi-
cientis suspicio. Quod porro concernit
neglectum bonorum, videndum, an fuerint

opera præcepti, vel tantum consilii; si præcepti, utique agenda de eo poenitentia: si verò tantum consilii, id necessarium non est. Quia tamen in multis offendimus omnes. Jac. 3. quæ sæpe nos latent; ideo suggerendum ei, ut corde contrito, & humiliato dicat cum Psalte regio: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Psal. 24.

CASUS II.

Demetrius studiosus confitetur, se nuper solum, cum Sacerdos tam citò haberi non possët, adstitisse suo socio, lethaliter vulnerato, & jam animam agenti; cumque in similibus nullam haberet praxin, nihil nisi invocationem Sanctissimorum Nominum JESU, & MARIAE, ei acclamasse; dubitare proin, an charitati fraternæ, suoque officio, quod gerit ut homo Christianus, satisfecerit?

RESOLUTIO.

68 **D**emetrius, per se loquendo, non satisfecit; vera enim ad mortem præparatio non in nuda invocatione horum Sanctissimorum Nominum, sed potius in fide viva, spe firma, charitate ardenti, & contritione perfecta consistit; qui quidem actus homini necdum justificato sunt necessari

ne-

necessitate mediæ ad salutem; justificato autem, excepta contritione perfecta, saltè necessariæ necessitate præcepti, prout in meo Trismegisto latius exposui. Præsertim etiam seria condonatio gravissimæ injuriæ ab inimico acceptæ, intimanda fuisset, utpote quæ sæpius deest in istis circumstantiis, cum tamen ad salutem sit necessaria, juxta illud: *Dimittite, & dimittimini.* Luc. 6. vide dicta num. 62. Dixi: non in nuda invocatione &c.; si enim invocatio Sanctissimi Nominis JESU fiat cum ardenti affectu in Christum Dominum, sanè omnes supradicti actus ad eam concurrunt; actus fidei, quò in JESUM Christum, DEUM & hominem, imò in totam Sanctissimam Trinitatem creditur: nam ut Theophilactus loquitur in cap. ult. Lucæ, *Christi nomen in se continet & Patrem inungentem, & unctiorem Spiritum, & unctum Filium.* Actus spei, quò speratur venia peccatorum ex vi & efficacia meritorum, & Redemptionis Christi Domini; cui actui præsupponitur fides in DEUM bonorum remuneratorem, & malorum vindicem. Actus charitatis, ex cujus imperio illa invocatio procedit. Et actus contritionis, qui in homine peccatorum suorum memore cum actu charitatis moraliter necessariò connectitur, uti & remissio injuriarum proximi. Et de tali invocatione

ne intelligendum illud Rom. 10. Omnis, qui-
cunque invocaverit Nomen Domini, salvus erit.
Et Act. 4. Nec enim aliud nomen est sub cœlo da-
tum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.
Hoc saltem piè confidere & sentire possu-
mus de Domino in bonitate, quòd interna
inpiratione sua defectum suggestoris ex-
terni jam suppleverit.

C A S U S III.

E Berhardus Lutheranus, opificii causâ in urbe
Catholica commoratus, ibidem lethali morbo
opprimitur, adeò ut Medicus de ejus reconvalescen-
tia desperârit. Igitur R. D. loci Parochus, & Pa-
terfamilias, de æterna ipsius salute, ut par erat, so-
liciti, accersunt duos PP. Franciscanos, qui egrum
ad veram fidem, & beatam mortem disponerent.
Accurrunt illi, & cum eundem penitus renitentem
cernerent, utpote qui identidem illud Apostoli: Bo-
num certamen certavi, cursum consummavi,
fidem servavi; in reliquo reposita est mihi
corona justitiæ &c. reponebat; ambo in id in-
cumbunt, an saltem mori velit in fide, quæ unice est
salvifica, ita, ut si sciret, vel agnosceret, eam esse
Catholicam, vellet in ista mori? Ità, reposuit egro-
tus. Tunc unus ei suggestit actum fidei; eodem
modo de spe, & charitate; similiter de contritio-
ne perfecta: postquam interrogavit, an etiam vel-
let accipere absolutionem à tali Ministro, qui ha-
beat

beat absolvendi à peccatis ipsius potestatem? Et quia etiam hic affirmandò respondit, dedit eam ex communi amborum consilio sub conditione, si sis dispositus. Et ecce! quæ virtus istorum actuum! Eberhardus altera die eosdem Patres sua sponte ad se revocavit, Professionem fidei Catholicæ, & dolorosam confessionem deposuit, & sacrò Viaticò refectus, sanctòque oleo inunctus fuit; post quæ præter spem omnium de die in diem meliùs se habuit etiam quoad salutem corporalem, integræque sanitati restitutus, etiam publicè fidem Catholicam confessus fuit; in qua, ut spero, adhuc hodièdum optimè consolatus vivit. De rei totius serie testis sum vic non per omnia oculatus. Solùm hic queritur, an dicti Patres bene processerint?

RESOLUTIO.

ADhuc judico, quòd bene, DEO ipso per 69 tam mirificos effectus factum ipsorum approbante. De actibus Virtutum Theologicarum, quòd sic instructi, fuerint sufficientes, non est dubium: absolutionem, verò quod concernit, eam rectè fuisse, & quidem sub conditione impertitam, ex simili casu videri potest apud Caramuelem, in *Theol. fundam. fundament. 46. à num. 2040.* ex quo descripsit, suùmque assensum addidit P. Gobat *Theol. experim. tr. 7. cas. 19. num. 622.* & seq. Ratio est; quia in actu contritionis,

nis, præsertim ubi explicitè adjecta fuit voluntas servandi omnia mandata DEI, jam inclusa fuit confessio virtualis: imò confessio etiam formalis aderat, licèt non materialiter integra, & specifica, cujus necessitatem homini, in principiis Lutheranis enutrito, tam citò persuadere, fuit moraliter impossibile: consequenter habebantur saltem essentialia Sacramenti.

§. III.

**Armatura Fortium,
Seu Actus Virtutum vel necessarij,
vel utiles pro agone ultimo.**

SCUTUM FIDEI.

HUjus affectûs formam prolixiorẽ de-
di in Trismegisto *Dist. 1. cap. 1. num. 38.*
Quòd si tempus non permittat, hunc sub-
stitue:

70 *O mi DEUS, credo te esse, qui es, unus, verus,
in Personis trinus, summè justus, & misericors DEUS,
Prima, & infallibilis Veritas; propter quod credo
etiam omnia, & singula, quæ per Ecclesiam creden-
da proponis.*

GALEA SPEI.

HUjus quoque actûs longior formula ex-
tat in eod. Trismeg. *dist. 2. cap. 3. n. 216.*
Brevior potest esse hæc.